

*vilis.* — Resp. I. Ad quæst. n. 2, positam : Regula 3, intelligenda est de possessione tam naturali quam civili, ac etiam quasi possessione taliter, quod ad inchoandam præscriptionem rerum corporalium requiratur possessio naturalis et civilis simul : ad continuandam vero eandem juste cœptam sufficiat sola civilis, non item sola naturalis : ad præscribenda vero incorporalia sufficiat et requiratur « quasi possessio. » Ita Glossa communiter recepta in hanc regulam § *Sine arg. l. Licet. 4. De acquir. possess.* ubi dicitur : « Licet possessio (et consequenter præscriptio) nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri valet. » Uti de secundo hujus conclusionis membro exemplum supra n. 4, adduximus in discedente a bonis suis ad tempus cum animo illa retinendi.

9. *Non item naturalis.* — Quod vero sola naturalis seu corporalis possessio nec ad continuandam præscriptionem sufficiat, patet ex dictis de præcedenti regula II, ubi clare probatum est, quod si intermedio ad præscriptionem requisito tempore notitia rei alienæ interveniat, consequenter bona fides desinat, et possessio civilis esse cesset, præscriptio non amplius currat.

10. *Ad præscriptionem rerum incorporalium requiritur et sufficit quasi possessio.* — Ad præscriptionem autem rerum incorporalium sufficere et requiri possessionem quasi talem patet ex Juribus n. 6, allegatis. Qua responsione præmissa.

11. *Verus sensus regulæ quis sit?* — Resp. II. Genuinus sensus regulæ est : « Sine possessione naturali et civili simul sumpta præscriptio rerum corporalium inchoari non potest : per eam tamen rite inchoata, sola civili possessione continuari et perfici potest tempore per jura præscripto. Ad præscriptionem vero rerum incorporalium requiritur et sufficit quasi possessio debito tempore continuata. » Patet responsio per jura hactenus allegata; cujus ratio universalis et principalis est; quia præscriptio principaliter fundatur et ædificatur super possessione, arg. l. *Usucapio, 3, ff. de Usucap.* ergo sicut non datur ædificium sine fundamento arg. c. *Veniens, 19, de Præscript.* juncta l. *Egi, 26, pr. ff. de Except. rei judicatæ.* ita, si ab initio non ponitur, vel intempestive aufertur, aut amittitur possessio, præscriptionem corrumpere necesse est. Hinc universaliter inferitur, quod qui rem aliquam possidere non

valet, præscribere nequeat, quia deest præscriptionis fundamentum, possessio nempe.

12. *Declaratur juris exemplis.* — Declaratur juris exemplis. Sic enim quia laici non possunt possidere loca religiosa et sacra, l. *Qui universas, 30, ff. De acquir. possess.* ibi : « Nam locum religiosum, aut sacrum non possumus possidere. » Neque jus eligendi in Ecclesia, arg. c. *Sacrosancta, 51, et c. Massana, 56, de Elect.* juncta Gloss. ibid. Nec Decimas, can. 1, cau. 16, q. 7, et c. *Causam 7, de præscript.* præfata jura et loca sacra præscribere non possunt; cum juxta regulam 3. « Sine possessione præscriptio non procedat. »

13. *Plura de possessione, remissive.* — Sic pariter quia jus resistit et impedit, ne quis acquirat possessionem rei ad usum publicum deputatæ, puta, fluminum, pontium, viarum, etc., præscribi non possunt, etsi populus eis uti desierit, arg. l. *Viam, ff. de Via publ.* Similiter, quia liber homo possideri nequit, arg. l. *Qui universas, 30, ff. De acquir. possess.* et l. *Cum hæredes, 23, eod.* etiam præscribi non valet. Hinc *Usucapionem, 9, ff. de Usucap.* dicitur : « Usucapionem recipiunt res corporales exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, et civitatum, item liberis hominibus. » Plura juris exempla adducit Barbosa in hanc reg. ex quibus clare patet, quod, ubi possessio deficit, præscriptio fieri non possit.

Cæterum quomodo probari possit possessio rerum : item quomodo acquiratur, et iterum amittatur, plene declaratum habetur lib. II, tit. XII, de *Causa possess. et propriet.* §§ 4, 5, 6 et 7.

#### REGULA IV.

##### PECCATUM NON DIMITTITUR, NISI RESTITUATUR ABLATUM.

1. *Hæc regula desumitur ex S. Augustino.* — Hæc regula desumitur ex Epist. 54. S. Augustini ad Macedonium, et refertur can. 1, caus. 14, q. 6, ibi : « Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur : si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum : sed, ut dixi, si restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo : nec aliud habet unde restituat. »

2. *Intelligitur de solo peccato contra justitiam commisso.* — Quaritur itaque I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam non de quovis, sed de soli peccatis contra justitiam, injuste auferendo, retinendo, vel injuste damnificando commissis intelligi, quæ non dimittuntur, nisi injuste ablatum vel retentum restituatur, vel damnum injuste causatum resarciatur, vel si physica aut moralis impossibilitas intervenit, id, quamprimum fuerit possibile, præstandi seria habeatur voluntas. Ratio in textu citato allegatur : « quia, si reddi potest, et non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. » Quod item intellige de eo, cui quidem hic et nunc moraliter vel physice impossibile est restituere, vel damnum resarcire : voluntas tamen id faciendi deest, quando potuerit; quia præsens physica vel moralis impossibilitas juxta communem tam juristarum, quam theologorum sententiam non extinguit, sed tantum suspendit obligationem restituendi, quandiu impossibilitas durat. Cum res semper clamet ad dominum suum.

3. *Per verba : non dimittitur, intelligitur dimissio quoad culpam et pœnam æternam coram Deo.* — Per verbum autem, « non dimittitur, » intelligitur dimissio tam quoad culpam, quam ei annexam pœnam æternam (in materia gravi) coram tribunali divino ita, ut etsi quem de peccato injustitiæ pœniteat, illudque is confiteatur, et firmum propositum id non amplius perpetrandi habeat, tamen nec culpa, nec pœna eidem annexa remittatur, nisi restituat, vel ubi de facto non potest, sinceram voluntatem restituendi habeat. Quod idem de injuste damnificante intelligendum; quia verbo *restitutionis* venit omnis utilitas actoris l. *Cum prætor, 81, ff. de Verb. Signif.* et amplius patet ex lib. V, tit. XXXII, de *Injuriis et damno dato.*

4. *Pœnas civiles remittere possunt principes.* — Dicitur tamen notanter : « coram tribunali divino; » quia pœnæ pro peccato injustitiæ in foro debitam a supremo principe, vel legitimo magistratu pro justo arbitrio penitus remitti, vel moderari posse, indubitati juris est, arg. l. *Princeps, 31, ff. de Legibus, praxi et consuetudine, quæ optima legum interpretis est, ubique confirmatum.*

5. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Proprius sensus regulæ IV, sequens est : « Peccatum injuste auferendo, detinendo vel damnificando contra justitiam commissum

coram tribunali divino nec quoad culpam, nec quoad eidem etiam annexam pœnam æternam dimittitur, nisi, ubi possibile est, restituatur ablatum, vel resarciatur damnum injuste illatum; aut ubi impossibilitas physica vel moralis adest, sincera id præstandi voluntas adsit, vel alia justa causa excuset. » Sensus hic ex se perspicuus est, et ex jam dictis patet.

6. *Restitutio ab hæredibus facta non juvat defunctum, nisi eam mandaverit : nec omissio illius nocet eidem.* — Solum addendum, quod reatus culpæ et pœnæ non dimittatur, nisi ipsemet injuste auferens, vel damnificans, dum adhuc in vivis est, restitutionem, si potest, per se, vel alios faciat, aut ut de suis faciat, demandet; consequenter non sufficiat, nec illum a reatu culpæ vel pœnæ liberet, etiam si hæredes illius, ipso prius non mandante, vel decernente, aut committente eam præstent. Quamvis enim hi cognita injuste ablata in natura vel æquivalente, absque ulla testatoris commissione restituere, et damna injuste illata resarcire ipsimet teneantur; tamen si id absque mandato vel commissione testatoris ex se ipsis, uti tenentur, faciunt, per hoc defuncto nullatenus prosunt, nec pœnas purgatorii (ubi materia levis est) tollunt vel minuunt, multo minus a pœnis æternis, ad quas in materia gravi statim damnatus est, amplius liberant. Sicut e contra eidem nec in minimo nocent, nec liberationem e purgatorio retardant si defunctus in vivis adhuc existens restitutionem debitam rite demandavit, hæredes vero eam facere culpabiliter omittunt, uti post D. Thomam, quolib. 6, art. 13, cum aliis bene docet Navar. in *Manu.*, cap. XXVII, n. 68, § *Quæsitum.*

7. *Vulgare dictum : restituam ne anima in purgatorio pati debeat, ridendum.* — Ex quo bene inferit Strein, ad hanc regulam, n. 5, ridendum esse vulgare illud dictum hæredum : Debeo vel vol. istud aut illud a patre, matre, vel fratre, etc., injuste ablatum restituere, vel damnum injuste illatum resarcire, ne alias pati debeant in altera vita. Vel enim defunctus in vivis existens demandavit debitam restitutionem, vel non : si posterius, pœnas illius nec tollent, minuent, etiamsi restituant : si prius, non nocebunt ei, sed sibi solis, si restitutionem facere ex parte, vel ex toto culpabiliter negligant.

8. *Solvitur objectio contra hoc.* — Nec obstat huic doctrinæ c. In *litteris, 5, de Raptio-*

ribus, ubi Papa vult compelli hæredes ad compensationem damni a defuncto illati, « ut sic a peccato valeat liberari; » quia verba hæc mendosa sunt, cum loco verbi valeat in singulari, legendum sit, valeant in plurali, quatenus non defunctum, sed hæredes afficiat, qui damna per defunctum injuste illata resarcire ita tenentur, ut, quandiu id non præstant, a peccato liberari non valeant, ut bene advertit Barbos., ad hanc reg. n. 8, huncque sensum juxta originale, et antiquiores codices veriore judicat Abbas, in cit. c. *In litteris*, n. 4. Vel, si verbum valeat in singulari defunctum afficiens accipiendum contendatur, non directe, sed indirecte intelligendum sit, id est, non quod restitutio hæredum directe juvet defunctum, et a peccati pœnis liberet, sed quia indirecte ei prodest, dum per suffragia, preces et oblationes, quæ in sepultura ecclesiastica (qua defunctus interim privatus erat) pro eo fieri solent, eidem succurritur, ut citius a pœna peccati in purgatorio sustinenda liberetur. Barb., Navar., Strein, loc. cit. et alii.

9. *Tot sunt fallentiæ contra regulam, quæ sunt causæ a restitutione excusantes.* — Quæritur II. An etiam? et quæ sint exceptiones aut fallentiæ contra hanc regulam quartam? Resp. Eas contra verba regulæ unde sumpta esse tot, quot sunt causæ excusantes a restitutione. De quibus etsi ex professo tractent theologi, nosque de illis etiam theologia moralis satis egerimus, tr. IX, dist. 5, q. 6, tamen pro majore dilucidatione regulæ eas etiam hic saltem breviter apponere bonum visum fuit.

10. *Enumerantur præfate causæ.* — Prima causa a restitutione excusans est impossibilitas physica; ratio est, quia « nemo potest ad impossibile obligari, » reg. 6, de *Reg. jur.* in 6.

Secunda: Si restitutio sine damno multo graviore, quam læsus sustinuit, v. g. in fama, vita, membris, bonisque fortunæ sibi, suisve inferendo fieri non potest. can. *Si res*, 1, cau. 14, q. 6.

Tertia: Si is cui restitutio facienda debitum voluntarie et ultro remittat arg. 1. *In re mandata*, 31, c. *Mandati*.

Quarta: Si dilatio restitutionis in magnum bonum creditoris vertit, uti et in casu quo ipse pecunia, vel alia re restituenda in suam perniciem, vel gravius damnum est abusus.

Quinta: Si quis cedat bonis suis, donec ad

pinguiorem fortunam venerit, l. *Cum et filii familias*, 7, c. *Qui bonis sed. poss.*

Sexta: Si in damno dato nulla intercessit culpa theologica, in foro interno nulla restituendi obligatio est, arg. can. *Erit autem*, dist. 4 et amplius diximus lib. II, tit. XXXVI, § 2, ubi etiam, an et quando in foro externo restitutio obligatoria sit ob damnum datum ex culpa levi vel levissima.

Septima ponunt aliqui casum præscriptionis, uti patet ex tit. *de Præscript.* Quibus similes causas alias plures reperire est apud theologos.

## REGULA V.

## PECCATI VENIA NON DATUR NISI CORRECTO.

1. *Per verbum, Venia, intelligitur hic venia culpa, et annexæ pœnæ æternæ: verba nisi correcto, idem sonant, ac nisi pœnitenti.* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. Per *Veniam* in hac regula, intelligi veniam culpæ, præsertim mortalis, et pœnæ æternæ a Deo, intelligendæ: non vero veniam pœnæ temporalis per judicem in foro externo intelligendæ. Per verba, « nisi correcto, » autem non intelligi idem, ac pœnis in foro externo sufficienter, et juxta exigentiam delicti jam castigato et punito, sed prout idem sonat ac « nisi pœnitenti, » et peccatum derelinquenti, indeque se corrigenti et correcto existenti. Glossa, in hanc reg. *Peccati venia*, Barbos., in eadem, n. 2 et seqq.; Strein, n. 1; Dynus, ibidem, qui cum aliis bene advertit, hanc regulam multum concordare cum præcedenti, ita, ut, sicut iuxta illam peccatum contra justitiam commissum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, ita universaliter prorsus nullum dimittatur peccatum, seu venia illius quoad culpam et pœnam æternam annexam tribuatur, nisi vere pœnitenti, et emendandi propositum serium explicite vel implicite habenti, icque correcto; ut proin per nulla quantumvis multa et magna opera bona obtineri valeat venia culpæ mortalis, et pœnæ æternæ annexæ, nisi etiam accedat pœnitentia, id est, perfecta contritio, vel saltem imperfecta, seu attritio cum absolute sacramentali: prout certum est apud theologos quoque, inter alias rationes etiam illam cum S. Thoma, p. 3, q. 86, art. 2, asserentes, quod cum homo, committendo

peccatum, propria voluntate a Deo summo et infinito bono sit aversus, sine omni propriæ voluntatis motione, et mediante pœnitentia ad eum conversione gratiam et veniam ab eodem non recuperet.

2. *Aliqui etiam de peccato veniali regulam intelligunt.* — Extendunt aliqui regulam etiam ad peccatum veniale: licet enim istius venia sine contritione; et sacramentali absolute obtineri valeat aliis mediis, tamen quia et ipsum aliqua saltem aversio a lege Dei et inordinata conversio ad creaturam est, sine pœnitentia saltem virtuali in hac vita non dimittitur, uti cum D. Thom., loc. cit. q. 87, 1, bene docent Layman., lib. V, t. VI, c. 4, n. 12 et alii.

3. *Majoris mali vitandi gratia in foro externo peccata impunita relinquuntur.* — Cæterum quod verba, « nisi correcto, » intelligenda sint, ac « nisi pœnitenti, » et non, ut aliqui volunt, nisi pœnis juris in foro externo sufficienter jam castigato, ac propterea correcto, etiam inde patet; quia in foro externo ad vitandum scandalum etiam disponente jure ab Ecclesia sæpe relinquuntur peccata impunita, daturque eorum venia taliter non correctis, can. *Denique*, dist. 4, can. *Ut constitueretur*, 25, dist. 50, can. *Quidam*, cau. 18, q. 4, can. *Schism.* 34, cau. 24, q. 1, cum concord.

4. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Proprius sensus regulæ est sequens: « Nullius peccati saltem mortalis, et pœnæ æternæ annexæ venia seu remissio datur, nisi vere pœnitenti, id est, perfectam contritionem, vel saltem imperfectam seu attritionem una cum sacramento pœnitentiæ habenti, indeque correcto. » Patet sensus ex dictis.

5. *Solvuntur objectiones.* — Huic sensui regulæ non adversatur, quod contra necessitatem pœnitentiæ objicitur ex can. sin. dist. 4, ubi Papa rescribit, eos, qui in Quadragesima diebus Dominicis carnes comedunt, et usque ad mediam noctem comessiones protrahunt, « si ad hanc consuetudine averti non possunt, cum venia suo genio esse relinquendos, ne forte pejores existant: » ergo, infertur, etiam sine pœnitentia obtinetur venia. Respondetur enim, textum hunc non esse intelligendum de venia culpæ, et annexæ pœnæ divinæ, sed de venia pœnæ humanis legibus constitutæ in foro externo intelligendæ, quæ majoris mali vitandi causa quandoque remittitur, et peccatum illam

inducens permittitur, cit. can. *Schisma*, cau. 24, q. 1; Gloss., in cit. can. fin.; Strein, in hanc reg. n. 5.

6. Pariter non obstat communiter objici solitum c. *Quod quidam*, 5, de *Pœnit. et remiss.*, ubi Papa dicit, eos, qui fatentur, se a criminibus abstinere non posse, tamen admittendos esse ad confessionem, addita ratione, « quia, ait, licet non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio; » ergo, infertur, etiam sine vera pœnitentia datur venia et remissio. Nam contra est, quod licet Papa hic etiam impœnitentes et indispositos ad confessionem admitti mandet, minime tamen velit, ut ad confessionem admissi sine vera pœnitentia, et emendationis proposito absolvantur, sed ut occasione confessionis charitativis et fervidis adhortationibus ad veram pœnitentiam inducantur: uti cum communi aliorum bene advertit Barb., in cit. c. *Quod quidam*. patetque ex ultimis verbis hujus capituli, ubi: « Crebris et salutaribus monitis pœnitentia indicenda. »

## REGULA VI.

## NEMO POTEST AD IMPOSSIBILE OBLIGARI.

1. *Regula hæc unde desumpta.* — Hæc regula desumpta est ex l. *Impossibilia*. 185, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Impossibilium nulla est obligatio: » cui etiam plures aliæ juris civilis leges correspondent, quas citat Barb. hic n. 1 unde antiquis versus:

Ultra posse meum non me lex justa coegit,  
Nec putat esse reum, qui totum posse peregit.

2. *Impossibile quid dicatur?* — Quæritur quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem sciendum, quid et quotuplex sit, ac dicatur « impossibile. » Impossibile ut sic dicitur omne illud, quod inspecta humana potentia a nullo fieri potest, sive quia naturæ vires transcendit, l. *Continuus*, 137, § *Illud*. 4, de *Verb. oblig.* sive quia a jure naturali, divino aut humano prohibetur, sicque moraliter fieri nequit l. *Filius*, 15, in fine, ff. de *Condition. institut.* Barb., hic n. 2.

3. *Impossibile aliud est de facto: aliud de jure.* — Huic definitioni conformiter, licet variæ species impossibilium referantur a

Glossa et doctoribus in hanc regulam, tamen ut bene observat Barbosa, loc. cit. omnes communiter et principaliter reducuntur ad duas species, videlicet ad impossibile de facto, seu naturæ: et ad impossibile de jure: seu ad impossibilitatem facti et juris arg. c. fin. de Pactis, ibi: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit. » Concordat c. Sciscitatus, 13, de Rescript. ibi: « Sentimus, quod tam de jure, quam de facto illa impotentia censeatur; » ubi etiam utriusque impotentia seu impossibilitas explicatur. Uti enim philosophi et theologi dividunt impotentiam in physicam et moralem: sic legistæ statuunt impossibilitatem juris et facti.

4. Quid sit impossibilitas facti? — Impossibile, seu impossibilitas facti (quæ etiam impossibilitas naturalis seu naturæ dicitur) est, et dicitur, quando consideratis circumstantiis loci, temporis, viribus, facultatibus personæ, naturaliter loquendo, absolute fieri nequit; uti respectu cujusvis hominis est digito tangere cælum, solem aut lunam detrahere, mortuum resuscitare: respectu infantis gravissimum pondus portare: respectu cæci litteras legere. § Si impossibilis, 11. Instit., De inutil. stipulat.

5. Et quid juris? — Impossibile De jure dicitur, quod a jure, seu lege naturali, divina aut humana prohibitum, honeste, et secundum bonos mores fieri nequit; hinc l. Filius, qui ff. de condition. Instit., dicitur: « Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, credendum est. » Concordant l. Si stipulor, 35, ff. de Verb. oblig., c. fin. de Pactis, can. Faciat, 15, cau. 22, q. 2, juncta Gloss. ibidem §. Non potest.

6. Ambæ æquiparantur. — Advertendum autem cum Fagn. in c. Nos quidem, de Testam., n. 56, quod « Impossibilitas juris et facti æquiparentur. » Bartol. in l. Continuus, § Inspiciendum, ff. de Verb. oblig., n. 2.

7. Quod pendet a voluntate principis, et concedi non consuevit, impossibile censetur. — Perro juxta eundem Fagn., in c. Cum sit ars; De ætate et qualit., num. 31, etiam ea, « Quæ pendet a voluntate principis, et concedi non consueverunt, reputantur inter impossibilia, » arg. l. Apud Julianum, alias incipit: Africanus, 39, § fin. ff. de Legatis, 1, et ibi Bart., n. 2.

8. Sicut et quod sine dispensatione Popæ fieri nequit. — Item illud impossibile censeretur, quod fieri non potest de jure communi, sed tantum ex dispensatione Papæ. Fagn., in c. De illis, de Despons. impub., n. 42, quod etiam notat Gloss. in l. Continuus, § Relictæ, ff. de Verb. oblig. Innocent., in c. Pastoralis, 5, de Caus. possess. et propriet. His præmissis.

9. Nemo ad aliquid impossibile sive de facto, sive jure ullo modo obligari potest. — Resp. I. Ad quæstionem n. 2, positam: Regula intelligenda est de utroque impossibili, ita ut vi illius ad id, quod de facto, vel de jure impossibile est, nemo obligari possit neque per legem aut constitutionem: can. Erit autem, 2, dist. 4, ibi: « Erit autem lex honesta, justa, possibilis, » nec per præceptum, nec per sententiam, nec per contractum c. fin. Pactis, nec per testamentum l. 3, ff. de Cond. et demonstr. § Impossibilis, juncta l. Si quis inquilinos, 112, § fin., ff. de Legat. Imo nec sui ipsius obligatio ad impossibile nec de facto valet, uti montes Alpium ulro in aerem deferre, arg. Cum hæres, 4, § 1, ff. de Statu lib., nec ad impossibile de jure, l. Inter stipulantem, 83, § Sacram. et l. Si stipulor, 35, § Item, ff. de Verb. oblig.

10. Difficilia hic non reputantur inter impossibilia. — Reducunt aliqui, ut Laym. in c. Sciscitatus, de Rescriptis, n. 1, ad impossibile de facto etiam illud, quod quidem absolute fieri potest, sed non nisi summa cum difficultate. Verum, licet hæc ordinarie excuset a lege humana communiter lata, per dicta in regula IV, tamen, quia absolute impossibile non est, et ad id quis se ipsum obligare, atque ob graves, præsertim publicas causas per legem et præceptum a legitima potestate obligare potest, hæc impossibilitas ad hanc regulam spectare non videtur. Hinc.

11. Resp. II. Verus et proprius sensus regulæ hic est: « Ad impossibile de facto vel de jure nemo obligari potest neque per legem, vel præceptum, neque per sententiam judicis, neque per testamentum, neque per pactum, vel contractum. neque propria voluntate. » Per jura citata: et ratio est, tum quia omnis obligatio tendit ad aliquid dandum, præstandum, § 1, Instit. de action., quæ autem impossibilia sunt, dari et præstari nequeunt; ergo; tum quia, ut bene discurret Strein ad hanc reg., n. 5, omni legi peculiare est, ne primæ regulæ, divinæ videlicet.

PRIVILEGIUM PERSONALE PERSONAM SEQUITUR  
ET EXTINGUITUR CUM PERSONA.

1. Regula unde desumpta? — Hæc regula desumpta habetur ex l. In omnibus, 6, ff. de Reg. jur. ibi: « In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat, » cui concordat l. Lex privilegia, 196, ff. de Reg. jur., ibi: « Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: et ideo quædam ad hæredes transmittuntur, quæ causæ sunt, quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt. »

2. Privilegium aliud est reale. — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, juxta jam dicta lib. V, tit. XXXIII, de Privilegiis, § 1, n. 12. Privilegium aliud esse reale, aliud personale. Illud est, quod directe et immediate ipsi rei, alicui loco, dignitati, officio, causæ, etc., vel ratione ipsius conceditur, ac propterea tempore, quo durat, eidem adstringitur, l. Imperatores, 7, ff. de Publician.

3. Aliud personale. — Personale est, quod immediate ac directe solia licui personæ, et ratione illius, v. g. propter singularem ipsius experientiam, doctrinam, virtutem, fidelitatem vel merita confertur. Quo nomine non veniunt privilegia, quæ toti alicui communitati, vel certo generi hominum dantur; quia etsi omnes personæ in tali communitate existentes, vel sub tali genere constitutæ tali privilegio gaudeant, indeque communiter « Privilegium personale » vocetur: tamen quia non intuitu unius personæ, sed intuitu totius communitatis est concessum, et omnes tam præsentibus quam futuros sub tali communitate viventes, vel sub genere existentes afficit, ad easque transit, privilegium mere personale, vel proprie tale esse non censetur, sed reale: cujusmodi est privilegium restitutionis in integram minoribus concessum, quo non unus solus, sed omnes minores in perpetuum gaudent, l. Non solum, 6, ff. de in integr. restit. Tale etiam privilegium est S. C. Vellejani concessum mulieribus: item privilegia concessa corpori mystico, veluti civitati, collegio, academiæ, religioni, etc. His prænotatis.

4. Regula habet duas partes. — Resp. I. Regula solummodo intelligenda est de pri-

sit difformis, consequenter ut sit possibilis, et honesta existat, cit. can. Erit autem, 2, dist. 4, ac ne hominibus præsertim impiis occasionem præbeat turbandi et quærandi, si lex vel præceptum ex aliqua ratione impossibile existat.

12. Verus sensus regulæ quis? — Notanda tamen differentia in prædictis, videlicet, quod si conditio impossibilis adjiciatur contractui, is totaliter vitietur, et irritus evadat. § Si impossibilis, 11, Instit. De inutili stipulat., ibi: « Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur, nil valet stipulatio, » cum concord. a Gloss. ibidem citatis. Si vero in testamento vel matrimonio apponitur, utrumque propter specialem juris favorem valeat, et conditio pro non adjecta habeatur, l. Reprehendenda, 5, C. de Instit. et c. fin. de Condit. apposit., nisi (loquendo de matrimonio) appositæ esset conditio contra substantiam matrimonii: tunc enim etiam ipsum matrimonium invalidum et irritum foret textu claro cit. c. fin. de Condit. apposit., quem per extensum retulimus lib. IV, tit. V, de Condit. apposit., § 2, n. 40.

13. Solvitur objectio contra regulam. — Contra regulam et sensum ipsius communiter objici, et per modum exceptionis poni solet primo casus, quo quis se obligat ad damna et pericula ex casibus fortuitis evenitura, quæ obligatio tenet l. Quæ fortuitis, 6, C. de Pignorat. act., cum tamen impossibile sit evitare casus fortuitos. Sed respondetur, intentionem contrahentium non esse evitare casus fortuitos, sed solummodo se obligare ad sustinenda damna et pericula inde provenientia, quod est possibile. Strein, hic, n. 6; Pech., ibid., n. 12 qui ambo bene addunt, in conventionem de hujusmodi casibus fortuitis tantum comprehendere casus evenire solitos, non vero insolitos ac insuetos, l. Fistulas, 78, § fin., ff. de Contrah. empt.

14. Secundo hæres tenetur solvere legatum pro republica factum ad opus lege prohibitum: l. Si servum, 91, ff. de Verb. obligat., ergo datur obligatio ad impossibile. Sed respondetur, in tali casu legatam non censeretur voluisse legare, quod lege prohibitum, sed permissum est, non recordando, vel ignorando, quod lege statutum habetur; nec mirum, si in miseræ hujus vitæ statu mentis imbecillitas subinde aberret, arg. l. Hac consultissima, 8, C. Qui testamentum facere poss. Strein, hic, n. 6, vel dic, regulam in hoc exceptionem pati.